

1502 Juli 6. Ulm.

1.

Des römischen Königs Maximilian I. Stiftungsbrief für die Universität Wittenberg.

Halle, WUA, Tit. III Nr. 1, besiegelte Ausfertigung auf Pergament. Gedruckt: G. Suevus, Academia Witebergensis ab anno foundationis 1502 . . . usque ad annum 1655 (Wittebergae [1655]) Bl. A₁—A₃. — J. Meisner, Jubilaeum Wittebergense (1668), Appendix S. 37—41. — J. Chr. A. Grohmann, Annalen der Universität zu Wittenberg I (Meissen 1801) S. 10—14 (unvollständig). — Fr. Israël, Das Wittenberger Universitätsarchiv; seine Geschichte und seine Bestände (= Forsch. z. Thür. u. sächs. Gesch. Heft 4; Halle 1913) S. 96—99.

Maximilianus divina favente clementia Romanorum rex semper Augustus . . . notum facimus tenore presentium universis: cum in primis ad hanc Romani imperii sublimitatem divino auspicio provecti diligenter circumquaque prospicere debeamus, ut scientiae et bonae artes ac studia liberalia foelicibus processibus summant augmentum, ex quibus divinae sapientiae hausto fonte subditi nostri et ad regendam rempublicam et reliquis mortalium necessitatibus providendum reddantur aptiores, potissimum cum omnium scientiarum tutela et patrocinium penes Romani imperii moderatores consistat, qui etiam ipsarum professores dignis premiis et honoribus atque privilegiis affitentes gymnasia undique in sacro Romano imperio instituerunt et erexerunt: nos itaque, praedecessorum nostrorum vestigia imitantes, exhibita nobis nuper petitione illustris Friderici ducis Saxoniae, sacri Romani imperii archimarescalci, Landgravi Thuringiae et marchionis Misniae, principis electoris et consanguinei nostri charissimi, ut ad praefatorum studiorum liberalium et bonarum artium incrementum studium generale sive universitatem aut gymnasium in civitate Wittenberg sub dominio et jurisdictione sua constitueremus et auctoritate nostra regia erigeremus et confirmaremus, ejus precibus morem gerere cupientes attentis innumeris meritis a praefato duce et praecessoribus suis nobis et sacro imperio exhibitis et praestitis, considerantes etiam quod praefata civitas non modo ex loci opportunitate instituendo gymnasio commoda, sed et incolis et finitimis eorundem locorum universale studium ibidem necessarium sit, ut adolescentes ad studia et artes capescendas alacrius nacta opportunitate vicini gymnasii incitentur et animentur, adhibito prius sano principum, comitum, baronum, procerum et nobilium nostrorum consilio, animo deliberato ex certa scientia et motu proprio ac de plenitudine

regiae nostrae potestatis universitatem sive studium generale et gymnasium in praefata civitate Wittenberg instituimus, ereximus et tenore praesentium erigimus et instituimus, volentes et decernentes quod doctores quarumcumque facultatum et personae idoneae ad id per praefatum illustrem ducem aut successores ipsius vel quibus id demandaverint deputandae possint et valeant in praefata universitate in omnibus facultatibus, videlicet in sacra theologia, in utroque jure tam canonico quam civili, in artibus et medicina, necnon in philosophia et quibuscumque scientiis legere et lectiones, disputationes et repetitiones publicas facere conclusiones palam sustinere ac praefatas scientias docere, interpretari glosare et dilucidare omnesque actus scolasticos exercere eo modo, ritu et ordine qui in caeteris universitatibus et gymnasiis publicis observari solitus est. et quoniam ipsa studia eo foeliciori gradu summent augmentum, si ingeniis et disciplinis ipsis suis honor, suis dignitatis gradus statuatur, ut emeriti aliquando digna laborum suorum praemia reportent, statuimus et ordinamus, ut per collegia doctorum a praenominato illustri duce in unaquaque facultate instituenda electis ad id idoneis et prae caeteris excellentioribus in ipsis facultatibus doctoribus hii qui ad summendam palmam certaminis sui idonei iudicati fuerint adhibito per ipsos doctores collegii in unaquaque facultate prius pro more et consuetudine atque solemnitatibus et ritu in caeteris universitatibus observari solitis riguroso et diligenti examine, in quo conscientias ipsorum doctorum cujuslibet collegii onerari volumus, quos sub juramenti vinculo ad hoc adstringimus, in ea facultate quam ediderint et qui examini praefato se submiserint et se pro more et juxta statuta et ordinationes per praenominatum ducem fiendas per aliquos dignos et honestos viros de gremio ipsius collegii praesentari foecerint, possint ad ipsum examen admitti et invocata spiritus sancti gratia examinari et, si hoc modo abiles, idonei et sufficientes ad id reperti et iudicati fuerint, baccalarii, magistri, licentiati sive doctores pro uniuscujusque scientia et doctrina creari et hujuscemodi dignitatibus insigniri, necnon per bireti impositionem et annuli aurei ac osculi traditionem caeterisque consuetis solemnitatibus investiri et consueta ornamenta atque insignia dignitatum praedictarum tradi et conferri; quodque doctores in eadem universitate promoti et promovendi debeant et possint in omnibus locis et terris sacri Romani imperii et ubique terrarum libere omnes actus doctorum legendi, docendi, interpretandi et glosandi facere et exercere omnibusque et singulis gaudere et uti privilegiis, praerogativis et exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, praeeminentiis et favoribus ac indultis, quibus caeteri doctores in Bononiensi, Senensi, Patavino, Papiensi, Perusino, Parisiensi ac Lipsensi et aliis studiis privilegiatis promoti et insigniti gaudent et utuntur consuetudine vel de jure.

Caeterum, quo praefata universitas sive gymnasium suis gubernatum magistratibus solidiori et firmiori sistat fundamento, damus et concedimus doctoribus et scholaribus in dicta universitate existentibus aut futuris cum consensu praefati ducis aut successorum suorum auctoritatem

et potestatem condendi et faciendi statuta et ordinationes juxta consuetudinem caeterarum universitatum, necnon creandi et eligendi rectorem scolarium ac syndicos sive alios quoscumque officiales universitatis, prout ipsis visum fuerit expedire et esse oportunum, dantes et concedentes auctoritate nostra regia rectoribus sic per eos eligendis et creandis facultatem et jurisdictionem in scolasticos, necnon citandi, audiendi, judicandi, exequendi, puniendi et omnes alios actus judicis ordinarii exercendi et jus reddendi, eximentes nihilominus doctores et scholares universitatis praenominatae a jurisdictione et superioritate cujuscumque potestatis aut judicis ordinarii sive cujuscumque alterius praeterquam a nostra et praefati ducis ac successorum suorum.

Praeterea, ut ipsa universitas dignis fulcita praerogativis nulli alteri quantumvis vetustae et celebratae universitati postponatur, volumus et decernimus per presentes quod praenominata universitas necnon doctores et scolastici ac ibidem aliquam dignitatem seu gradum assumentes gaudeant et potiantur, uti, frui, gaudere et potiri possint et valeant omnibus et quibuscumque gratiis, honoribus, dignitatibus, praerogativis, privilegiis, concessionibus ac immunitatibus, favoribus et indultis ac aliis quibuslibet, quibus universitates Bononiensis, Senensis, Patavina, Papiensis, Perusina, Parisiensis et Lipsiensis ac alia studia privilegiata ac doctores et scolastici sive promoti aut aliqua dignitate sive gradu insigniti gaudent aut potiuntur quomodolibet consuetudine vel de jure, non obstantibus aliquibus privilegiis, indultis, praerogativis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemptionibus aut aliis quibuscumque in contrarium facientibus, quibus omnibus et singulis ex certa nostra scientia praefata animo deliberato et motu proprio derogamus et derogatum esse volumus per praesentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae creationis, institutionis, foundationis, erectionis, indulti, gratiae, derogationis, constitutionis, concessionis et privilegii gratiam infringere aut ei quovis ausu temerario contraire sive quomodolibet violare et infringere. si quis autem hoc attemptare praesumpserit, nostram et imperii sacri indignationem gravissimam et poenam centum marcarum auri puri, toties quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursum, quarum medietatem imperialis fisci nostri sive aerarii, reliquam vero partem injuriam passorum sibi decernimus applicari.

1502 August 24. Weimar.

2.

Kurfürst Friedrich und Herzog Johann von Sachsen setzen die Eröffnung der Universität Wittenberg auf den 18. Oktober d. J. fest und laden zu ihrem Besuch ein.

Halle, Marienbibliothek, gleichzeitiger Druck.

Spätere Drucke: C. Wendel, Die Lutherbibel von 1541 in der Marienbibl. zu Halle, in Neue Mitteil. aus dem Gebiet histor. antiquar. Forschungen

W. Friedensburg, 1926

U r k u n d e n b u c h der Universität Wittenberg

T e i l 1
(1502—1611)

*Herausgegeben
von der Historischen Kommission
für die Provinz Sachsen
und für Anhalt*

Bearbeitet
von
WALTER FRIEDENSBURG

*

Magdeburg
1 9 2 6

Selbstverlag der Historischen Kommission
Auslieferung durch Ernst Holtermann,
Magdeburg